

turi et sier Polo Nani, laudandoli di aver mandato esploratori per intender li andamenti di foraussiti dil Stato di Milan; et quello riporterano, debano subito avisarne.

Et simile fo scritto a Brexa, Crema, Verona et Rovigo.

268<sup>b</sup>

*Exemplum.*

Carolus quintus divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, atque Jerusalem, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiae etc. Rex, Archidux Austriæ, Burgundiæ, Brabantiae, etc., Comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis etc. Cum itaque sit quod exortis nonnullis difficultatibus circa observationem indutiarum alias inter preclarissimæ memoriæ sacratissimum Maximilianum Imperatorem avum nostrum colendissimum et Illustrissimum Dominium Venetorum initarum communi consensu, deputatis hinc inde procuratoribus et mandatariis ad hujusmodi contraversias et difficultates dirimendas, deventum fuerit ad nonnullas conventiones, declarationes et capitula facta, conclusa et firmata inter magnificos equites sincere nobis dilectos Mercurinum de Gattmaria jurius utriusque doctorem, consiliarium et magnum Cancellarium et in hac parte etiam procuratorem nostrum ad id specialiter deputatum, et Franciscum Cornelium predicti Illustrissimi Venetorum Domini apud nos oratorem, et ab ipso Dominio ad id pariter mandatum speciale habentem; quorum capitulorum per ipsos procuratores subscriptorum et sigillatorum tenor de verbo ad verbum sequitur, videlicet:

Primo. Quod treugæ seu induciæ indultæ anno 1518, die prima Septembris, per annis quinque exinde successuris finiturisque eadem prima die anno 1523, remanere debeant in suo robore, firme ac inviolabiter observari cum pactis tamen et declarationibus infrascriptis, quæ tamen in aliqua sui parte, finitis treugis, non habeant prejudicare juribus partium ac si nunquam factæ fuissent.

Secundo. Quod solutio viginti milium ducatum, quæ erat fienda per ipsum Inclitum Dominium Cesareæ Majestati die prima Septembris anni proxime preteriti, fieri debeant incontinenti in civitate Augustæ ad manus domini Jacobi Villingher thesaurarii suæ Cesareæ Majestatis. Reliquæ vero solutiones fieri debeant juxta formam treugarum quin-

quennialium per terminos ibidem expressos, ad manum tamen dicti thesaurarii.

Tertio. Quod quarta pars reddituum bonorum exulum debita per ipsum Illustrissimum Dominium prædictis exulibus virtute sexti capituli prædictarum treugarum, usque modo non liquidata, pro toto tempore treugarum quinquennialium in ducatis decem et octo millibus solvendis in tribus annis, videlicet sex mille per totum mensem Julii proxime futurum et reliquos duodecim mille in duobus annis sequentibus, videlicet quolibet dictorum annorum sex mille, terminis contentis in dicto sexto capitulo treugarum quinquennialium, et hoc ad manus reverendi domini Jacobi Bannisii, seu ejus substituti in civitate Tridenti, ad rationem librarum sex et solidorum quatuor monetæ currentis in civitate Venetiarum.

Quarto. Pro tollendis causis dissidii et perturbationibus ipsarum treugarum, convenerunt quod, durantibus ipsis treugis, præfatum Illustrissimum Dominium abstinere debeat in omnibus et per omnia ab infrascriptis locis et villis sitis in Patria Fori Julii, ita quod ab earum omnimoda jurisdictione sit et remaneat penitus exclusum, salvis tamen semper interim et remanentibus in prima instantia juribus et exercitiis jurisdictionum ipsarum villarum et locorum possessoribus ipsarum, prout exercebantur et possidebantur ante proximum bellum preteritum, dum tamen per vassallos recipiantur investituræ solitæ et fidelitatis juramentum debitum præstetur Cesareæ Majestati vel ejus agentibus ad hoc deputatis vel deputandis in ditone Goritiæ, præstando etiam ea omnia quæ vassalli soliti sunt præstare dominis feudi et prout præstare soliti erant Illustrissimo Dominio, pro rata tamen bonorum tantum feudalium existentium in jurisdictionibus adjudicatis Cesareæ Majestati, et non pro aliis villis et locis; a quibus abstinere debeant Domini Veneti. Ultra castra et loca Gradiscæ et Marani ac Bottestani cum villa Ampletii, possessa per Cæsaream Majestatem sunt infra, videlicet Afarra, Villanova, Mossa prope Gradiscam, Porpeto citra aquam Chiarissa, Sancto Gervasio, Gonars, Campomolle, Riparupta pertinentibus primordialiter ad castrum Marani. Item, a castro Porpeticum, Sub Urbio et Media villa sua, Ontegnano, Fauglis, Villanova, Sancto Georgio Nogario et Carlino. Item, a villa Monasterii, Cervignani, Tertii et Sancti Martini pertinentibus ad Monasterium aquilejense, Aruvida et Visto a Villa Vicentina cum Sancto Nicolao de Levata, Tlumisello, Ayello, Toponano, Foaniz, Sancto Vito de Cranglio

268<sup>a</sup>

(1) La carta 267<sup>a</sup> è bianca.